

CREMONÆ TERRITORIUM.

scopus Placentinus: *Guilielmus*, Sodalitatis Eremitarum Magister, & Episcopus Novaræ: *Franciscus Regatius*, Minorita, Episcopus Bergomi: *Moneta*, Prædicatorii ordinis, Professor Juris Bononiensis, Auctor Summæ Casuum Conscientiæ: *Orlandus*, ejusdem Ordinis: *Apollinaris*, *Cremonensis* cognomine: *Ioannes & Martinus Bosiani*: item *Richardus Malumbra & Hieronymus Ponzonius*, Iurisperiti: *Gerardus Sabuloneta*, Medicus & Philosophus: *Ioannes Balistarius*, Blondi Præceptor: *Petrus Somentius & Daniel Cajetanus*, linguarum doctissimi. His adscensendi *M. Furius Bibaculus & Quintilius*, antiqui ævi Poetæ. Ante mœnia fuit Mephitis templum, quod vel loco vel nomine defensum, notat Tacitus: quum Vitellianis temporibus tota civitas diriperetur, omniaque sacra profanaque in igne confunderent. Ager illi planus & campestris, tritici, milii & aliarum frugum fructuumque, vini item lini-que ferax.

*Olius.*

Provinciam hanc irrigat præter Padum, Adduam, & alios, de quibus alibi, *Olius*, vulgo nunc Italis *Oglio*, & ejus adcolis *Oio* dictus. Ori-

tur eodem cum Addua Alpium tractu, in monte, cui vulgare vocabulum *Montarolo*. Per vallem Camunicam 50 ferme millia passuum delapsus *Sebinus* sive *Sevinus* eum lacus excipit. Cernuntur in hoc flumine (juxta Palatiolum, castrum frequens & lautum, ubi pons amnis transitum jungit) excipuli seu loculi conserti viminibus, in quos annuo certo tempore defluentibus aquis, anguillæ glomeratæ cadunt, quæ ingenti numero extractæ saliantur. Aquarum ejus perpetua est claritas, nec ullo unquam tempore deficiens. Brixianum agrum à Cremonensi & Bergomate hac parte sejungit. Antequam in Padum transeat, sinistra ripa alios amnes Alpinos excipit, quorum celebriores sunt, *Mella & Clusius*, nunc *Mela & Chiese* dicti. Priorem Virgilius cecinit libro quarto Georgicorum:

*Est etiam flos in pratis, cui nomen Amello  
Fecere agricolæ, tonsis in vallibus illum  
Pastores, & curva legunt prope flumina Mella.*

